



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus
voluntate et providentia]

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. III. Primus error Calvinii refellitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)

opera Demonum, subindeque non solum phy-

A infinita sapientia: ita & summa bonitas, & perfecta sanctitas. Unde sicut ratione sua veracitatis, & infinita sapientia, non potest mentiri, nec fallere, aut falli: ita ratione sua sanctitatis, & bonitatis infinita, neque potest peccare, neque ad peccatum concurrere. Quam rationem etiam tangit Philo Judaeus in libro de confusione linguarum, ubi dicit, Deum bonorum tantum esse causam, mali autem prorsus nullius: quandoquidem ipsum bonum omnium antiquissimum est, & perfectissimum: decet autem sua natura propria operari, optimum optima.

Probatur tertio conclusio ratione quam innuat D. Thomas in 2. dist. 37. quaest. 2. art. 2. Defectus qui est in effectu non debet attribui causae universali & remotae, sed proxima & particulari. Nam defectus claudicationis non est ab anima, aut a virtute motiva, sed a tibia curva, & defectuosa. Item defectus floritionis, vel fructificationis in arbore, non est a caelo, vel a Sole, sed a terra, vel radice. Cum ergo Deus sit prima, & universalissima omnium causarum, per se primo attingens in rebus creatis rationem entis, & actualitatem existentiae: defectus naturales, vel morales, qui contingunt in causis inferioribus, naturalibus, vel liberis, non debent illi attribui tanquam causa, sed reduci in causas secundas deficientes, & in voluntatem humanam, difformiter ad regulas morum operantem.

Probatur quarto: Peccare est deficere a motione primi moventis, & ab illius fine & scopo declinare: Ergo repugnat quod divina providentia hominem moveat ad peccandum, seu quod per suam motionem sit causa peccati. Consequentia patet, Antecedens etiam non est minus evidens, peccatum enim in eo consistit quod deficiamus ab ordine & motione primae causa, ac declinamus a fine & scopo illius: unde a Dionysio 4. de divin. nomin. malum dicitur esse praeter principium, praeter viam, praeter finem & scopum, & D. Thomas quaest. 3. de malo art. 1. ait quod defectus consequitur in actione, ex hoc quod agens deficit ab ordine primi moventis, sicut artifex non peccat contra artem, nisi quando non sequitur motionem & directionem artis, & instrumentum non deficit, nisi quatenus non sequitur actionem causa principalis, & tibia non claudicat, nisi quia propter suam curvitatem, se subtrahit a rectitudine motus ad quem anima, media potentia gressiva, illam applicat.

Denique potest suaderi conclusio alia ratione quam tangit idem S. Doctor 1. 2. quaest. 79. art. 1. his verbis: Dens non potest esse directe causa peccati, vel sui, vel alterius, quia omne peccatum est per recessum ab ordine qui est in Deum sicut in finem: Deus autem omnia inclinat & convertit in seipsum, ut dicit Dionysius cap. 1. de divinis nominibus. Hunc propterea concipit Boetius tanquam in excelso folio confidentem, & omnia quae producit, ad se reducentem, quod ni faceret, omnia relaberentur in nihilum. Verba ejus sunt:

Sedeat interea Conditor altus,
Rerumque regens flecitur habenas,
Rex & Dominus, fons & origo,
Lex, & sapiens arbiter aequi
Et quae mo tu concitat ire,
Sistit retrahens, ac vaga firmat,
Nam misrectos revocans iterus,
Flexos iterum cogat in orbes,
Quae nunc stabilis continet ordo,
Dissepra suo fonte fatiscant.

Vuu

Confir.

§. III.

Primus error Calvinii refellitur.

Dico primo, Deum nullo modo causare peccatum quia tale est, secundum malitiam & deformitatem quam de formali importat, sed illud esse a sola voluntate creata, deficiente, & operante difformiter ad regulas morum. Conclusio est certa de fide, definita in Tridentino sess. 6. can. 6. his verbis: Si quis dixerit non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera, sua bona, Deum operari, non permissivae solum, sed etiam propriae, & per se, adeo ut sit proprium ejus opus, non minus proditio Iuda, quam vocatio Pauli, Anathema sit.

Colligitur etiam ex variis Scripturae locis, in quibus divina sanctitas commendatur. Dicitur enim Psalmo 5. Non Deus volens iniquitatem tu es. Psal. 144. Iustus Dominus in omnibus viis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis. Abacuc. 1. Mundi sunt usque tunc videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris. Item Augustinus 5. de civit. cap. 9. dicit, quod Mala voluntates a Deo non sunt, quia contrarietas sunt quae ab ipso est. Et Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 19. Illius rei Deus ultor est, cujus autor non est, id est iniquitatis, quam potest Deus punire, non facere: Denique S. Prosper in Carmine de ingratis habet hos versus:

Per Verbum omnipotens, Deus omnia condidit unus,
A quo natura est nulla creata mali
Probatur secundò conclusio hac ratione qua utitur S. Basilus. Sicut Deus est prima veritas, &

Tom. 1.

- 163 Confirmatur & magis illustratur hæc ratio. Deus per suam causalitatem id solum potest attingere, quod continetur intra objectum formale suæ omnipotentiae: Atqui peccatum, quantum ad formale, & malitiam quam importat, non continetur intra objectum divinæ omnipotentiae: Ergo non potest attingi à Deo per suam causalitatem. Major est evidens, Minor probatur. Id solum continetur intra objectum divinæ omnipotentiae, quod est ordinabile in Deum tanquam in ultimum finem, nam primum agens, & ultimus finis, inter se convertuntur: Atqui peccatum, quantum ad formale, non est ordinabile in Deum tanquam in ultimum finem, sed potius est recessus & deviatio ab illo tanquam à fine ultimo: Ergo peccatum, quantum ad formale, non potest causari à Deo.
- 164 Dices, Formale peccati, secundum communiorum Thomistarum sententiam, consistit in positivo: Sed omne positivum causatur à Deo, cum sit creator omnium visibilium & invisibilium, ut in primo Symboli articulo profitemur: Ergo formale peccati causatur à Deo.
- 165 Huc argumento, relictis variis solutionibus, breviter respondeo, distinguendo Majorem. Formale peccati consistit in positivo, quæ positivum est, nego Majorem: quæ deficientes est, & prout in obliquo connotat privationem rectitudinis, seu conformitatis cum regulis bonorum, concedo Majorem. Similiter distinguo Minorem: omne positivum causatur à Deo, quæ positivum est, concedo Minorem: quæ deficientes est, & prout connotat in obliquo privationem rectitudinis, nego Minorem, & Consequentiam.
- 166 Explicatur breviter hæc responsio. Licet juxta communiorum Thomistarum sententiam, formale peccati consistat in positivo, illud tamen non habet rationem mali moralis, nisi quatenus connotat privationem rectitudinis, & conformitatis cum lege; non quod talis privatio intrinsecè & in recto importetur in formali constitutivo peccati, ut quidam volunt; sed tantum extrinsecè, & in obliquo, eoque ferè modo quo docent Philosophi in Metaphysica, carentiam divisionis importari in unitate transcendentali. Sicut ergo ad hoc, ut aliquid sit unum transcendentaliter, non sufficit quod participet rationem entis, sed præterea debet extrinsecè, & in obliquo connotare carentiam divisionis; ita etiam ut aliquid censeatur esse causa peccati, non sufficit quod causet totum positivum quod in illo includitur, sed præterea debet causare privationem illam rectitudinis quam connotat in obliquo, sive potius illud positivum, quatenus fundat & connotat talem privationem. Unde cum Deus sub hac ratione non causet positivum illud per quod formale peccati constituitur, sed solum sub ea ratione quæ positivum est, & quatenus transcendentaliter imbibit rationem entis & boni, non est, nec potest dici author, vel causa peccati, quantum ad formale per quod constituitur.
- 167 Dico secundò: Deum non causare materiale peccati, fundamentaliter sumptum, & quatenus reduplicativè fundat ipsam malitiam & deformitatem. Probatur: Materiale peccati, quatenus tale, & prout fundat ipsam malitiam & deformitatem, est initiative, & causaliter malum, & minimè ordinabile in Deum ut ultimum finem: sic enim pertinet reductivè & initiative ad lineam mali moralis, sicut fundamentum relationis formaliter & reduplicativè sumptum, reducitur ad lineam relativorum, ut in tertio notabili exposuimus: Ergo sub hac ratione non causatur à Deo, sed à voluntate creata deficiente.
- Adde quod, agens attingens fundamentum malitiae, quæ tale, causat secundariò & consequenter ipsam malitiam: sicut ille qui ponit fundamentum relationis, quæ tale, causat etiam consequenter ipsam relationem; quæ ad illius positionem resultat, & sicut ille qui alicuiusmodi vulnus ex quo mors sequitur, censeatur esse causa mortis illius: Ergo cum Deus non sit, nec possit esse causa malitiae & deformitatis peccati, non potest etiam fundamentum ejus, formaliter quæ tale, causare.

S. IV.

Exploditur secundus error Calvinii.

Dico tertio, Deum non movere moraliter voluntatem ad materiale peccati, per consilium, præceptum, suasionem, vel inspirationem. Est etiam contra Calvinum, qui (ut supra vidimus) docet Deum positivè tentare homines ad peccandum, & ad eos tentandos ut operi Dæmonum, eisque præcipere ut homines tentent, & ad peccatum inducant. Addit tamen Deum hoc faciendo, non peccare, neque denominari peccantem: tum quia legi non est subiectus: tum etiam quia id præstat optimo consilio, ut scilicet ad finem operibus suis præfixum (gloria scilicet suæ ampliationem) perveniat.

Probatur primò conclusio ex Scriptura: dicitur enim Jacobi. *Deus intentator malorum, ipse autem neminem tentat.* Et Ecclesiastici. *Ne dixeris, ille me implanavit: Tentaverunt enim nos Deus, & implanaret, si ad actus se malos, consilio, suasionem, vel præcepto induceret: Ergo &c.*

Probatur secundò conclusio: Motio moralis, quæ aliquis inducit alium ad actionem aliquam exercendam, movet ipsum ad hujusmodi actionem, secundum quod ab ipso procedit: Sed Deus non potest movere voluntatem creatam ad materiale peccati, secundum omnem modum quo procedit à voluntate creata: Ergo nec ad illud, eam movere moraliter. Major patet, quia cum motio moralis non habeat physicam efficientiam in actionem, non aliud præstare potest, quam invitare agens ad utendum sua virtute, & modo proprio operandi: in quo differat motione physica, quæ cum habeat influxum physicum, attingit in actione id quod est intra sphaeram suæ activitatis tantum. Minor verò probatur: Si Deus moveret voluntatem ad materiale peccati, eo modo absolute quo ab ipsa procedit, moveret ad illud, formaliter quatenus est fundamentum malitiae, eamque haberet annexam; sicque moveret ad ipsam malitiam consequenter.

Confirmatur: Motio moralis pertinet ad Deum ut ad motorem & provisorum specialem, nec præcindit à malitia morali, sed ad illam se extendit, ut exposuimus in quarto & quinto notabili: Atqui repugnat quod materiale peccati sit à Deo ut motore & provisoro speciali, quatenus possit procedere ab illo, ut prima causa & generali motore ac provisoro, subministrante omnibus causis secundis media necessaria ad agendum, & attingentem in omnibus rebus creatis entitatem, actualitatem, vitalitatem, & bonitatem tran-